



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

IV. Christus Sol Iustitiæ, lux mundi, consummatio fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

Guarido Episcopo, qui voluit eum examinare, sicut mox suus erat de omnibus. Non parcebat aliqui, & dedit ei Missale, docens; verte in quacumque parte volueris: Et electus stupefactus & tremens, sicut tremis folium super arborem quando ventat fortius, vix potens tenere librum, dixit, ad quid verteret in libro? Nihil scio in illo. Et dixit Episcopus, quod erat Missale in quo multoties legerat; non enim erant Priora, aut Posteriora, vel decretales, vel leges. Qui respondit, quod nec in Missali, nec in alio libro aliquid sciret dicere, nec in suo *Pater noster*. Quasi fuit Episcopus, quare: qui respondit, quod pro timore quem habebat de illo Episcopo pro magnitudine scientiæ suæ, cum esses vnus de maioribus de mudo. Et rogauit Episcopi, vt istā gratiā ei faceret, quod faceret eū audiri ab aliquibus sociis suis, quia melius se haberet coram sociis Episcopi, quā coram Episcopo. Quod concessit ei prædictus Episcopus. Sed ecce Deus in die iudicii, omnes singulariter examinabit in propria persona, & in plena Vniuersitate; nec alij committet, aliquo modo, cuiuslibet sit scientiæ. Ad scientiam cuius Dei, nulla est comparatio prædicti Episcopi, vel cuiuscunque magni Clerici. Psalmographus; *Sapientiæ eius non est numerus*. Et Ioannes: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio*, id est iudicium de omni Iob: *Omnipotens singulorum causas diligenter intrat*. Si ergo ita stupefactus fuit, & ita timuit Monachus coram prædicto Episcopo, quid faciemus in die iudicii, vbi non erit querela de Abbatia vna, sed de regno Paradisi, & patibulo Inferni, in quo nulla est redemptio.]

V.

Audiendi etiam, suspecti à Christo Magistri.

895 Caterum quod Christus ita per seipsum obuiert magisterium de quo hætenus, vt tamen etiam doceat, & qui organa quæ ad id submittit, audit; Christum ipsum docentem audiat; tradit perpulchrè Origenes hom. 32. in Lucam *initio*. [Cauet, inquit agens de iis qui docentem Christum audierat, ne beatos illos tantum iudices, & te arbitris priuatum esse doctrinæ. Si vera sunt quæ scripta sunt, non solum tunc in congregationibus Iudæorum, sed & hodie in hac congregatione Dominus loquitur; & non solum in hac, sed etiam in alio coetu, & in toto orbe docet Iesus, quærens organa per quæ doceat. Orate, vt me quoque, compositum ad canendum, aptumque reperiat. Sicut enim quærit omnipotens Deus Prophetas, eo tempore quo propheta morales indigent, & inuenit; Verbi gratia, Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, Danielem; sic quærit Deus organa per quæ doceat sermonem suum, vel erudiat populos in Synagogis eorum, & glorificetur ab omnibus.]

Sic ergo Apostolos audiens, Christum ipsum audit; sicque vnus est magister noster, quamuis verè dicatur S. Petrus *Magister inter Magistros* à Cassiano lib. 3. de Incarn. cap. 12. de eodem, & B. Paulo, ita S. Bern. sermone 1. in eorum festo. [Hi sunt magistri nostri, qui à Magistro omnium vias vitæ plenius didicerunt & docent nos vsque in hodiernum diem. Quid ergo docue-

tunt, vel docent nos Apostoli sancti? Non piscatoriam artem, non sœnofactoriam, vel quidquid huiusmodi est? Non Platonem legere, non Aristotelis versutias inuolare, non semper discere, nunquam ad veritatis scientiam peruenire. Docuerunt me viuere. Putas parua res est, scire viuere? Magnum aliquid, imo maximum est. Non viuunt qui superbia inflantur, qui luxuria sordantur, qui cæteris inficitur pestibus; quoniam non est hoc viuere, sed vitam confundere; & appropinquare vsque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puro, & mala pati, & bona facere, & sic perseverare vsque ad mortem. Dicitur vulgo, quia *qui bene depascit, bene vivit*, sed mentia est iniquitas sibi: quia non bene viuunt, nisi qui bonum faciunt.]



CAPVT IV.

Christus sol iustitiæ, Lux mundi, Autor & consummator fidei.

ET hic quoque titulus, ad Magisterium pertinet. Cum enim sit duplex docendi modus; vnus propositione doctrinæ vocè, aut scripto, alter qui ad res morales accommodatissimus est, exemplo & factis, par fuit Magistrum vndeunque perfectum, docendis bonos mores mortalibus diuinitus prouisum, vtroque illo modo doctrinam suam expromere, quod & præstitit. Et inde, ratione posterioris modi docendi, denominatur *sol iustitiæ*, (nempe vniuersalis, virtutes omnes comprehendens); & *lux mundi*. [Non vtique lux visibilis, (ait S. Ambrosius Epist. 11. sed animarum quæ in hoc mundo sunt, intelligibilis claritudo, quibus se splendenti lumine rationabili infundit prudentiæ; & vt prædicatur in Euangelio, incorporea virtutis inflammans vapore cetera mentium, animorumque penetralia.] Eodem item referendum arbitror, quod Heb. 12. Christus appellatur *autor & consummator fidei*. Sed regestemus singula.

Christum, exemplo quoque docere, congruentissimum.

896 Primum, par fuisse eiusmodi nobis iustitiæ Doctorem obtingere, qui factis & exemplo doceret, fusè confirmari lib. 3. f. 1. cap. 1. agens de fine aduentus Christi ad nos docendos. In quam rem; longum & perpulchrū Lactantij aduersus Ethnicos argumentum pro Christo doctore, Deo corporato, protuli, & communiui. Nunc addere possumus aliud argumentum ex illa Lactantij disputatione lib. 5. instit. c. 18. vbi Lactantij iustitiæ malè patrocinatum præfatus, quia caput ipsum fontemque iustitiæ non tenebat, subdit, [Nobis autem facilius est ipsa defensio, quibus celesti beneficio familiaris est, ac penitus nota iustitia est: quanquam illam non nomine sed te nouimus. Nam Plato & Aristoteles, honesta quadam voluntate iustitiam defendere cupierunt: effectissentque aliquid, si conatus eorum bonus, si eloquentia, si virtutem ingenij diuinarumque rerum doctrina inuisset. Itaque

M M m 3 opus

opus illorum inane atque inutile iacuit, nec cuiquam hominum persuadere potuerunt, ut eorum præscriptio viveret: quia fundamentum à cælo disciplina illa non habuit. Nostrium opus certius sit necesse est, quod Deus docuit. Illi enim depingebant verbis, & imaginabantur iustitiam quæ in conspectu non erat: nec præsentibus exemplis conformare poterant quæ disse-
rebant. Responderi enim posset ab audientibus, non posse ita vivi, sicut illi sua disputatio-
ne præscriperant: adeo ut nulli adhuc extite-
rint, qui id genus vitæ sequerentur. Nos autem non verbis modò, sed etiam exemplis ex vero petitis, vera esse quæ à nobis dicuntur, ostendimus.]

At non aliam præsertim ob causam ostendi-
mus, quàm quia præiit Christus exemplis, cuiusque nos vestigia relegimus, & magna cum facilitate iisdem insitimus, Christo præeunte. Quod enim in S. Venceslai rebus gestis scriptum memini à Pubrauo l. 4. hist. Bohem. huc non incommode aptauerim. Narrat ille Podiavinum sancto Regi assiduum comitem, cum noctu, calceatus ipse, præeuntem ad templum, Venceslaum nudipedem, per loca niuibibus & gelu rigentia ponere sequeretur, frigore ambum, ac propè rigentem pedes, calorem, illud conceptisse, cum primum vestigia præeuntis Venceslai relegit, & eo loco pedem posuit, quem nudæ S. Principis plantæ pressissent. Hoc nobis quoque, in via virtutis, per hybernos quibuscum hic semper conflictamus rigores, & cæli inclementiam, vsu venit. Cum primum enim tendenti-
bus per virtutum viam frigoris asperitas, inde-
que obrepens torpor incommodat, reculesci-
mus confestim & ad iter prosequendum alacritatem ac vigorem necessarium concipimus, ubi subit animi cogitatio, insitisse Christum ea via, & qua incedendum esset, suis gressibus iter signasse, factum exemplis viæ ducem, & caloris conciliatorem: eum ea ratione, tum maxi-
mè per interna virtutis subministrationem. Et hac ratione S. Hieronymus cap. 38. Iob, per-
pulchrè de Christo exponit illud, *Nunquid in-
gressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis
aspexisti.* Sic enim habet. [Posuit Dominus de
adventu suo in carne, hoc dixisse, quo ut ignis
aeternus & ignis cæli, ignisque diuinus, per
quem omnes creature rationabiles concale-
cunt, dignatus est ad terram descendere: qui ve-
lut ad nivem regionem, & frigidam mundi
huius, atque instar grandinis nimio infidelita-
tis frigore duratam, exclamavit & dixit; *Ignem
veni mittere in terram.* Proinde huiusmodi
humanorum cordium thesauros, obliuione vi-
delicet Dei sui frigidissimus, ingressum se pro-
fiteretur, ut expulso perfidiæ frigore, delectatione
eius flagrant & dicerent; *Concaluit cor meum
intra se, & in meditatione mea exardescit ignis.*]

*Reipsa Christus, exemplo docuit
sanctitatem.*

897 Par itaque fuisse, Christum exemplo nobis ad omnem iustitiam & virtutem prælu-
cere, ratum esto. Id verò Christum reipsa præ-
stitisse, (ut præterea addebam,) cum vniuersa
Christi vita attentius perpensa demonstrat, tum
Patres persæpè obseruant. S. Basilii egregiè id
tradit in Psalm. 33, ad illud, *iste pauper clamavit.*

Præmissio enim alio sensu verborum illorum, subdit. [Potest hic sermo, & ad Christum referri, qui cum natura dives esset, propter quæ quod omnia quæ Patris sunt, ipsi sunt; *Propter nos, pauper factus est, ut nos eius paupertate dives essemus.* Omnis enim actionis quæ nos ad beatam vitam perducit, autor ipse primus Dominus fuit, sese discipulis exemplum præbens. Ad eas recurre, quas beatitudines nominamus, his singulis sedulo expensis, inuenies sui sermo-
nis doctrinam, ipso anteveritisse opere, *Beati mites.* Quoniam igitur modo hanc inanusuetudi-
nem didicerimus: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* *Beati pacifici.* Qui nobis pacis bonum ostendit. Ipse pacificus qui pacem fecit & conciliauit duos in vnum novum hominem, & pacificavit per sanguinem crucis suæ, omnia siue quæ in cælo, siue quæ in terris sunt. *Beati pauperes.* Ipse pauper vixit, seque assumpta servili forma exinanivit, ut nos omnes ex eius plenitudine gratiam pro gratia accipiamus.]

Magnificè planè idem tradit S. Augustinus l. de vera Relig. cap. 16. [Cum omnibus modis, (inquit,) medeatur animis Deus, pro temporum opportunitatibus, quæ mira sapientia eius ordi-
nantur, de quibus aut non est tractandum, aut inter pios perfectosque tractandum est, nullo modo beneficentius consulit generi humano, quàm cum ipsa sapientia Dei, id est vnicuique filius consubstantialis Patri & coæternus, totum hominem suscipere dignatus est, & Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ita enim demonstravit carnalibus, & non valentibus in-
tueri mente veritatem, corporeisque sensibus deditis, quàm excessum locum inter creaturas habeat humana natura; quod non solum vili-
biliter, nam id poterat, & in aliquo æthereo cor-
pore ad nostrum aspectum tolerantiam temperato, sed etiam hominibus in vero homine apparuit.] Et paulò post, monstrans in parti-
culari quibus in rebus Christus, exemplum sobri-
et iustitiae, & piæ viuenti præbuerit, sic scri-
bit. [Satellites voluptatum, diuitias perniciose
populi appetebant: Pauper esse voluit. Honori-
bus & imperiis inhiabant: Rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant: Ta-
le coniugium prolemque contempnit. Contumelias superbissimè horrebant: Omne genus contumeliarum sustinuit. Iniurias intolerabiles esse arbitrabantur: Quæ maior iniuria, quàm iustum innocentemque damnati: Dolores cor-
poris execrabantur: Flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant: Morie mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem puta-
bant: Crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carento vili fecit. Omnia quæ vitare cupientes deiecit. Non enim vllum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea quæ illo contempnit, aut fugiuntur quæ illo sustinuit. Tota itaque vita eius in terris, per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.]

Nominat inque patientiam, & maximè humilitatem.

398 Sigillatim, in patientia & fortitudine tolerandi, voluisse Christum, non verbo tantum, sed & exemplo nos docere, aperit in Psalmum 63. ac Epist. 120. cap. 10. & 11. & benè Laurentius Iustinianus, in Ligno vitæ Tract. de patientia cap. 5. in fine. Fulgentius optime ferm. de Martyribus tractans illud, *qui seminant in lachrymis*, quod sic enuceat. [Vbi seminant in lachrymis, nisi iuxta arborem crucis, vbi est fons proximus Saluatoris? Inde de latere eius sanguinis guttæ stillarunt, & pluita cruoris & aquæ feminata est, tolerantia confessorum. De ipso ligno viventi, iuxta fontem sanguinis, plantata Virginitas floruit castitatis; inde plantata Martyrum tolerantia, cepit seminis sui germina colligere purpurata. Nam vnde Martyres tolerant, nisi per Dominicam crucem? Vnde Martyres, in quorum cordibus lex Dei est, maledictiones non timent hominum, nisi quia Christus Dominus petiit patienter improperia Iudeorum? Vnde Martyres carcerum custodias delectabat intrare, nisi quia Dominus ductus est ad prætorium Principis Caiphe, & nocturnum crudelis prætorij carcerem non dedignatus est sustinere; sed dicebat: *Traditus sum, & non egrediebar*. Vnde Martyres de catenis & vinculis ferreis non cutabant, nisi quia Christus Dominus teneri & alligari passus est à Iudeis, quia catenas mortis dirupit à mortuis iam sepultus; quid dixit eis. *Qui in vinculis sunt, exite, & qui in tenebris sunt, ut videant lumen*; & qui dixi Lazaro post quatuordecim iam sepulto; *prodi foras*? Traditus non egrediebat foras, quia erat liber intus & foris. Inde Martyres alapas non horruerunt, quia Christus maxillas suas ad alapas præbuit impiorum. Inde non nocuit Martyribus, infusa aceti vel sinapis acerrima violentia, quia acetum & fel Christi degustauerunt labia, non tali digna potatione à pincernis impiis, quibus *rupit petram & fluxerunt aquæ, & potavit eos sicut in abyssa multa*. Vnde Martyres nudati sustinuerunt, flagellati non fleuerunt, nisi quia Dominus nudatus est & flagellatus atque præcinctus sub Pilato iudice, de quo ipse iudicium veniet iudicare? Vnde equuleis appositi cum vngulis fulcarentur, apporati dulcissimis decantationibus laborem faciebant cum pudore tortoribus, nisi quia crucem Christus Dominus ascendi, inimicos non accusavit, pro sua iniuria non descevit, sed inimicis veniam postulavit, pio cantico psallens in ligno; *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*? Ita ergo seminario sanguinis Christi, fecit semina Martyrum pullulare in campo matris Ecclesiæ.]

Tandem S. Bernardus ferm. 22. in Cant. *sub finem*. Frustra huius seculi sapientes, de quatuor virtutibus tam multa disputaverunt, quas tamen apprehendere omnino nequiverunt, cum illum nescierint, qui factus est nobis à Deo sapientia docens prudentiam, & iustitia delicta donans, & sanctificatio in exemplum temperantiæ continenter vivens, & redemptio in exemplum patientiæ fortiter moriens. [Et mox. Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? Vbinam quæso vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Vnde vera iustitia, nisi de

Christi misericordia? Vbi vera temperantia, nisi in Christi vita? Vbi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli ergo quæ eius doctrina imbuti sunt, prudentes dicendi sunt: soli iusti, qui de eius misericordia veniam peccatorum consecuti sunt: soli temperantes, qui eius vitam imitari student: soli fortes, qui eius patientiæ documenta fortiter in aduersis tenent. In cassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quàm à Domino virtutum, cuius doctrina, seminarium prudentiæ: cuius misericordia, opus iustitiæ: cuius vita, speculum temperantiæ; cuius mors, insigne est fortitudinis.]

399 Sed quod omnium maximè necessaria sit humano generi humilitas, quandoquidem per superbiam cecidimus cui humiliare Dei hominis, & nostrorum humilium operum eius exemplo perficiendorum medendum fuit; eo præsertim exempla Christi collimasse S. Augustinus præclare prosequitur hom. 34. & 50. Exhibeo plagulam duntaxat proluxa in eam rem disputationis, qua illud Christi monitum explanat, *Venite ad me omnes qui laboratis*. Ea igitur verba sic glossat. [Sarcina vobis, tumor vester est. *Venite ad me omnes qui laboratis & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos & discite à me*. Clamat magister Angelorum, clamat Verbum Dei, quo rationales omnes mentes sine defectu pascuntur. Cibus reficiens & integer permanens, clamat & dicit, *Discite à me*. Exaudiat populus dicentem, *Discite à me*. Respondeat, Quid discimus à te? A magno enim artifice, nescio quid audiri sumus, cum dicit, *Discite à me*. Quis est qui dicit, *Discite à me*? Qui formavit terram, qui diuisit mare & aridam, qui creauit volatilia, qui creauit animalia terrena, qui creauit omnia natantia, qui posuit in celo sydera, qui distinxit diem & noctem, qui formauit ipsum firmamentum, qui lucem à tenebris separauit; ipse dicit, *Discite à me*. Nunquid forte hoc nobis dicturus est, ut ista cum illo faciamus? Quis hoc potest? Solus Dei facit. Noli, inquit, timere, non te onero. Hoc à me discite quod propter te factus sum. *Discite à me*, inquit, non formare terram, quæ per me facta est: nec illa quidem dico discatis, quæ quibuldam donauit quibus volui, non omnibus; suscitare mortuos, illuminare cæcos aperire aures surdorum; nec ista pro magno velitis discere à me. Gaudii discipuli & exultantes, redierunt dicentes. *Ecce in nomine tuo & Damonia nobis subiecta sunt*, ait illis Iesu. *Nolite in hoc gaudere, quia Damonia vobis subiecta sunt: gaudete potius, quia nomina vestra scripta sunt in celo*. Quibus voluit donauit expellere Damonia, donauit quibus voluit mortuos suscitare. Sic ergo dedit cuidam mortuos suscitare, alij dedit disputare, omnibus tamen quid dedit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Fratres mei, tota medicina nostra ista est, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*.]

Vides cur præsertim Christi magisterium per exempla, in exercendis illustrissimis humilitatis actibus sit versatum. Ita enim ferebat summa necessitas nostra, quam omnis illa exemplorum Christi exhibitio spectabat. Sicut ergo tota aegritudo & morbositas nostra per superbiam fuit, ita humilitatis præsertim illustrissimis speciminibus propostis, curandi fuimus. De quo

tursus

rursus idem Augustinus lib. de Catechiz. rud. capite 22. his præter cætera. [Omnia ergo bona terrena, contempsit homo factus, Dominus Christus, ut contemnenda monstraret, & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat: ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. Natus enim de matre, quæ quamvis à viro intacta conceperit, semperque intacta permansit, virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat, omnem typhum carnalis nobilitatis extinxit. Natus etiam in ciuitate Bethleem, quæ inter omnes Iudææ ciuitates ita erat exigua, ut hodiæque villa appelleretur, noluit quemquam de cuiusquam terrena ciuitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam factus est, cuius sunt omnia, & per quem creata sunt omnia, ne quisquam cum in eum crederet, de terrenis diuitiis auderet extolli. Noluit Rex ab hominibus fieri, quia humilitatis ostendebat viam miseris, quos ab eo superbia separauerat; quamvis sempiternum eius regnum, vniuersa creatura testetur. Eloruit qui omnes pascit; sicut per quem creatur omnis potus, & qui spiritaliter panis est & videntium, fons est scientium. Ab itinere terrestri fatigatus est, qui seipsum nobis viam fecit in cælum. Velut obmutuit & obsurdit coram conuincantibus, per quem mutus locutus est, & surdus audiuit: vincit est, qui nos de infirmitatum vinculis soluit: flagellatus est, qui omnium dolorum flagella de hominum corporibus expulit: crucifixus est, qui cruciatus nostros finiuit: mortuus est, qui mortuos suscitauit. Sed & resurrexit nunquam moriturus, ne ab illo quisquam sic disceret mortem contemnere, quasi nunquam victurus.]

Christum à præstitis totius sanctimonie exemplis, dictum, Solem iustitiæ, monstratur, præsuppositu pluribus de Christi Sole.

900 Sequitur monstrandum, ex hac omnis virtutis exemplorum expressione in Christo, nomen illi, *Solis iustitiæ, & lucis mundi*, inditum esse. Hac enim esse in Scripturis Christi nomina, nemo in eis adeo hospes est ut ignoret. Sic apud Malachiam c. 4. Spondet Deus timentibus nomen suum, exorturum solem iustitiæ, sub cuius pennis est sanitas; id est interprete, D. Augustino, à cuius pennis seu radiis, non sit timendum capiti, ut experimur accidere in Sole corporeo; quin potius cuius pennæ sanitatem conferant. In eum Malachiæ locum Augustinus de Quirós, alias Scripturas in eum sensum addens, itemque Sol Maior in præclara Solis & Christi comparatione, quam instituit in illa verba Cant. 1. *decolorauit me sol.* Ipsa Christi Conceptio, Solis fuit delapsus, à signo Leonis ad signum Virginis, ut huc quoque aptemus Astrologicas picturas. Christi exortus temporalis, fuit tanquam Solis noui, ita ut nescientes prophetarent, Ethnici illi quos S. Leo serm. 2. de Christi nativitate, *sub finem* & S. Aug. serm. 61. de diebus, c. 1. referunt in die Natalis Christi celebrasse festum Solis noui, ea die exorti. Ex quorum vbi manarat apud vulgus Christianorum, ut diem Domini Natalem, festum Solis noui appellarent, ut scribit S. Ambrosius serm. 10.

Dixisset eis tunc iure quispiam; Quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Verè enim Sol nouus ea die ortus est in tenebris luminis rectis, misericors & miserator & iustus. Nacente Augusto, Solem è coniugis vtero prodentem, visus est videre Pater, ut ex antiquioribus ait Constantinus Manassès in Annal. rom. 72. Hoc de Augusto fabulolum, vel ad gratiam captandam excogitatum, est de Christo verissimum. Quod autem Egyptij apud Phodium Cod. 242. fabulantur solem ex matris vtero prodisse, indice silentij digito labijs adherentes, quomodo etiam Orum, & postea Herasium aiunt natum, verissime & citra fabulam hileolum ha. et, ubi verbum Dei infans est.

In eo Solis nostri exortu, iuxta B. Gregorij interpretationem 29. Mor. c. 1. locum habet, quod dixit Iobum interrogans Deus, *nauigasti aurora locum suum.* Verè enim Christo oriente diluculum pariter ortum est, iuxta illud Osee 6. quod vtrique Glossa de Christi Natiuitate accipit, *quasi diluculum præparatus est egressum eius.* Ortum igitur est diluculum de pulsa nocte, quam Idololatriæ fuisse imaginem docet Lactantius 2. inst. c. 10. *sub finem*, & solius veri Dei, tanquam Solis tunc apparentis, perstrictis non plenis & frigidis luminibus quæ illuc vsque micauerant, exortu cessauit. Illuc vique sanè, præter Idololatriam, horrenda aliorum peccatorum tenebræ. (& est peccatum, quod S. Chrysostomus hom. 4. in Ioann. fest. nem, benè considerat, prototypum tenebrarum) orbem vniuersum occupauerant. Omnes bestræ sylæ, per eam noctem ac tenebras, pertransibant. Christo autem Sole, orto, in sua se latibula abdere sunt adactæ. Sic enim eum Plalitis locum, ad Christum accommodat S. Gregorius 27. Mor. c. 19. qui item lib. 5. eiusdem operis c. 37. ait Patres veteris Testamenti vocari *aboriui*, quia concepti non viderunt lucem, siue Solem Christum, & quia de tenebris ad tenebras inferni transerebantur, ut proportionem de diminitis philosophatur, autor libri tertij in Iob, apud Origenem in fine. Non ergo viderunt Solem, qui fecit I. e. Solem ut loquitur S. Augustinus serm. 2. *e senectis in fine.* Hic est Sol, quem impij vt Sap. 5. habetur, expostulabant à se non fuisse visum, cum errarent à via veritatis. Et idem ipse est Sol, vt exponit D. Aug. in Plal. 57. de quo dictum ibi est, *super ceci di ignis, & non viderunt solem*; quia nimium vincente impijs concupiscentia carnis, & excitato inde fumo, solem non viderunt; non illum quem vident nobilem muscæ & pecora, sed Solem iustitiæ Christum.

Plenè de hac Christi denominatione, Anall. 4. Hexaem, & Berengiosius initio Tractatus de luce visibili, & inuisibili, itemque iam olim Origenes Tomo 1. in Ioann. ad illud *In principio erat Verbum*, inter explicandum varia Christi nomina, obseruans Christum in variis scripturis, modò denominari lucem hominum, modò lucem veram in tenebris lucentem & à tenebris non comprehensam, modò lucem gentium. Et cum lux mundi sub sensum cadens sit Sol, idem censet esse Christum dici lucem mundi, ac dici Solem mundi, non sensibilibus, sed intelligibilibus. [Seruator noster (inquit) illucescens his qui rationis sunt capaces, præstantissimis animarum

videre, & non videntur: Quarto ? nisi quia nox eorum partibus, ut ipsorum mens propria aspectabilia cernat, intelligibilis mundi lux est. Nimirum animarum rationis capacium in hoc mundo sensibile existentium, & si quid præter hæc mundum complet: & hoc Servator noster esse nos docet. Fortasse ipse, illius præcellens præstantissimæque pars existens, ut ita dicam, Sol qui facit diem Domini magnum, cuius diei causa ad eos dicit, qui lucis suæ participes erant, *Operamini dum dies est, venit nox, quando nullus potest operari: quando sunt in mundo, lux sum mundi.*

Nox ante Christum Solem Ecclesia ad eum, ut Luna.

901 Et ideo mundus ante Christum erat in ve pere, ait S. Ambrosius lib. 1. de Abrah. cap. 6. [Vesper (inquit) erat antequam Christus veniret: quia totus erat mundus in tenebris. Vesper erat omnibus, quos immanium delictorum equalior tenebrosus vergebat. Venit Dominus Iesus, redemit sanguine suo mundum, lucem attulit. Idem habet Anastasius Sinaitalib. 1. in Hexaem: tractans terram incompositam & inuisibilem, creatione solis mystici illustratam. Concinne quoque illud in hanc rem legitur apud S. Athanasium in fragmento de Sabbathorum observatione. [Cum creaturam intra sex dies conditam renouatione interpolasset, diem illum (dominicum) huic instaurationi consecratam voluit, quam in Psalmo Spiritus prænuñciat. *Hæc est dies quam fecit Dominus*; Solis enim instar Deus exortitur, illustrans vniuersumque animum. Quocirca & in salutifera passione non apparuit Sol, indicans finem prioris creaturæ adesse, & principium alterius superuenire, quæ diluculum suum & exortum in Salvatore consecuta est. Hanc cum vidisset Propheta, ita locutus est. *Ecce vir oriens illi cognomen*. Ac rursum. *Vobis iumentibus enim exortietur Sol iustitiæ*. Non enim omnium hæc dies est, sed eorum qui mortui sunt, peccato & viuunt Deo.

Addit insuper Origenes Tomo illo 1. in Ioan. Ecclesiam, & Apostolos, sanctosque omnes, non secus se habere adhuc Solem, quam se habeant Luna & astra ad Solem corporeum, à quo omnem lucem suam repetunt: ita ut eo non alluente, sint in tenebris. In quam comparisonem multa præclare tradit hom. 1. in Genes. exponens productionem luminatum. Insigniter item in eam rem differt S. Augustinus in Psal. 10. tractans illud, *ut sagittæ in obscuro relictos corde*. Ipse legit *ut sagittæ in obscura Luna relictos corde*; & Lunam interpretatur Ecclesiam; siue quod ex parte lucet & ex parte obscura est, ut aliqui quos ibi refert de Luna materiali opinantur: siue quod Luna, lumine proprio omnino carens, à Sole mutuum lumen accipiat. [Qua ratione Luna intelligitur Ecclesia; ait ibi S. Augustinus. Quod suum lumen non habeat sed ab Vni genito Dei Filio, qui multis locis in Sanctis Scripturis Sol allegoricè appellatus est, illustratur. Quem nescientes, & cernere non valentes Heretici quidam, ad istum solem corporeum & visibilem, quod commune lumen est, oculis carnis hominum atque muscarum sensus simplicium conantur auertere, & nonnullorum auer-

Theoph. Raynaldi de Attrib. Christi.

tunt.] Significat Manichæos de quibus tract. 34. in Ioann. initio, & Cyrillus Catech. 6. illud insanum commentum memorant, censuisse illos Christum esse Solem hunc corporeum, quem conspiciunt & peccata; & in illud absurdum deductos esse, ex Scripturis quæ Christum solem denominant; quod tamen de sole intelligibili & ut ex aliis Scripturis diximus, de sole Iustitiæ, fuerat accipiendum. Huc facit, quod varios Lunæ ad solem comparatæ status, ad multiplicem Ecclesiæ statum sic accommodat Petrus Blefensis Episto. 8. sub initium. [Varios militantis Ecclesiæ status, quia frequenter in sacro eloquio per Lunam solet Ecclesia præfens intelligi; quædam proprietates Lunaris exequitur, Ecclesiæ coaptari. Sicut enim in Astrologia Martiani Luna in sua nouitate *minoides* dicitur: in augmento, cum iam ad medium creuit *diatomos*; cum accedit ad circulum, dicitur *amphicyrtos*; cum verò in plenitudine sua tota est serena, *panfelenos*: Sic Dei Ecclesia, quæ Lunari exemplo lumen suum mendicat à Sole iustitiæ, in Abel & Patriarchis *minoides*; in tempore Prophetarum *diatomos*: in aduentu Christi, *amphicyrtos*: in eius resurrectione & fidei confirmatione satis tolerabiliter poterat *panfelenos* nuncupari: Quod enim Ecclesia perfecta, & perfectè ordinata tunc demum fuit, quando Christus celos ascendit, Propheta satis expressè exemplo consimili manifestat. *Eueniatu est*, (inquit) *Sol, & Luna stetit in ordine suo*; id est, ascendit Christus & Ecclesiam in ordine sanctitatis per Apostolos stabilivit.]

Christus est orbi mystico, in dies, tempora, & annos.

902 Sunt nobis hic Sol, & hæc Luna, in dies, tempora, & annos, ut pulchrè tradit Berengensius, sub initium operis de luce visibili. Quomodo autem recessu vel appulsu Solis Christi, omnes mundi intelligibilis tempestates, extiterint, attingi exponens quomodo Christus dicatur *nova creatura*, Idem fusè prosequitur Nicetas ad orat. 42. Nazianzeni. Non tamen querenda ab hoc Sole, anni tempestas hyemalis, hæc enim abiit, itaque Bernardus serm. 33. in Cant. dictum suum corrigit, quo hyemem quoque ab isto Sole factam admisit. Cæteras tempestates, ab eo in celo procreandas, per pulchrè tradit. In celo tamen non fore nobis hunc Solem in dies noctibus interpolatos, & menses ac annos, sed iugem ibi fore ac plenam nec vniquam ad occasum declinaturam meridiem, ad quam per progressionem lucis in hac vita crescentis usque ad perfectam diem, ab aurora concepti Christi deuentum sit, sic prosequitur idem S. Bernardus. [Quælo, indicamibi ubi pascas, ubi cubes in meridie, hoc est, tota die. Etenim illa meridies tota est dies, & ipsa nesciens vespere. Et ideo melior dies illa in arvis, tuis, super millia, quia nescit occasum. At matutinum forsitan habuit, cum primum videlicet, dies sanctificatus illuxit nobis, per viscera utique misericordie Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Verè tunc suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui, cum in medio vmbrae mortis, exortus matutini lux orta est nobis, & manè vidimus gloriam Domini. Quanti Reges, & Prophetæ voluerunt orabat

NNn

orabat

erat, & necdum venerat illum expectatum mane cui fuerat repromissa misericordia? Unde & orabat qui dicens; *Audiam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.* Fuit namque quedam huius aurora diei, ex quo Sol iustitiae per Archangelum Gabrielem nunciatus est, & Virgo Deum in vtero de Spiritu sancto concepit, & peperit virgo: ac deinceps quoad in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Nam vsque adeo per totum id temporis lux pusilla & tanquam lux reuera aurore apparuit, ut diem esse interim apud homines, penè vniuersitas ignoraret. Denique si cognouissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Et utique paucis ipsis discipulis dicebatur, *Adhuc modicum lumen in vobis est*; eo quod aurora esset & initium, vel potius indicium diei, dum sol adhuc absconderet radios suos, & minimè eos spargeret super terram. Paulus quoque dicebat *Quoniam nox praecessit, dies autem appropinquauit*; Significant esse tunc adhuc adeo modicum lumen, ut propinquasse quamuis diem, dicere maluerit. Quando autem hoc dicebat? Profecto quando sol reuersus ab inferis, iam se ad alta caeli sustulerat. Quanto magis cum adhuc similitudo carnis peccati, instar densae nubis operiret auroram, iuxta omnes nimirum nostri corporis passionibus, ita ut neque amara mors, nec erux probosa defuerit: quanto magis, inquam, tunc exigua tenuisque admodum lux fuit, & quae de aurora magis quam de Solis prodire praesentia videretur? Erat ergo aurora, & ipsa subobscura satis, tota illa Christi conuersatio super terram, vsque dum occumbens & rursus exorians, solaris suae praesentiae lumine clariore fugauit auroram, & mane facta, absorpta est nox in victoria. Denique habet: *Et violè mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum orto iam sole.* An non mane fuit, quando ortus est Sol? atque tunc autem novum de resurrectione decorem, & sereniorē solito lucem: quoniam etsi noueramus eum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Et scriptum in Propheeta; *Decorem induit, induit fortitudinem & praecinxit se*, quod carnis infirma, tanquam nubila quaedam excusserit, stolam gloriae induens. Sanè ex tunc eleuatus est Sol, & sensim demum diffundens suos radios super terram, cepit paulatim ubique clarior apparere, Fernidiōrque sentiri. Verum quantumlibet incalescat, & inualescat, multiplicet & dilatat radios suos super omnem huius nostrae mortalitatis curriculum, (erit enim nobiscum vsque ad consummationem saeculi,) non tamen ad meridianum pertinet lumen, nec in illa sui plenitudine videbitur modò, in qua videndus est postea, ab his duntaxat quos hac visione ipse dignabitur. O verè meredies, plenitudo fetoris & lucis, solis statio umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fetorum depulsio. O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies; o lumen meridianum; o vernalis temperies; o aestiua venusta, o animalis vbertas, & (ne quod videat praeteriisse,) o quies & feruor hyemalis Aduer-
(si hoc magis probas, sola tunc hyemis ablit & recessit.

Sancti, ad Christum Solem, Stellae.

903 Sanctos quoslibet, se habere ad hunc solem sicut stellas, sic tradit Anastasius 4. Hexaem. ad finem. Sunt duae tabulae caelorum, quae intrinsecus quidem ferunt ratione praeditas stellas, & Angelorum & Angelicorum mysteriorum ac rationum: extrinsecus autem stellas quae cadunt sub aspectum, & earum descubentes aenigmata per eas quae sunt in ipsis figuris, locaque & cursus differentias, nos docentes differentias, & tempora, & loca, & mores, & cursus, & apparitiones sanctorum qui illuxerunt in firmamento fidei, qui ex alto nos illuminant. Propterea aliae quidem ex stellis, nocte adhuc crescente (errore, inquam, jecturantur, cuiusmodi fuerunt Abel, & Enoc, & Noè & Abraham. Aliae autem rursus in medio lucis & tenebrarum, quales nouimus eos qui fuerunt in lege. Aliae autem rursus procedente nocte, & die appropinquante, qui sunt B. Prophetae; & Baptista, & maxime qui erant propinqui splendori ortus Domini. Quorum quidem Prophetarum vltimus & omnium clarissimus, tanquam Lucifer matutinus, Solis (nempe Christi,) praecursor Ioannes dicens: Ecce post me oritur mundo Sol iustitiae: Qui cum esset exortus & egressus ex aquis Iordanis, discipulo ostendit duodecim domus discipulorum, qui sunt stellae quae continent & dominantur omnibus stellis firmamenti, nempe Ecclesiae. Appat mox Ecclesiae, stellas Zodiaci, de quo cum de Christo Patre, S. Gregorius Praelatione in Iobum cap. 6. multus est in ostendendo, antiquos Patres qui Christum antecesserunt, fuisse praecursori stellas, super peccantium tenebras diuinitus prouisas, quousque verus Lucifer surgeret qui aeternum nobis mane nunciaret.

In eandem sententiam de sanctorum cum stellis comparatione, sic differit Ildo. Pelus. lib. 3. Epist. 4. [Apostolus stellas eos appellat, qui per optimam viuendi rationem spectantium animos illuminant, his verbis utens: *inter quos estis ut luminaria in mundo*: sic etiam Daniel, stellas eos vocat, qui & pietate clari sunt, & vitam optimè constituunt. Ait enim: *Et ceciderunt stellae à stellis & à virtute.* Non quod stellae ceciderint, ut quidam opinati sunt, (absit;) sed quod Antiochus Epiphanes (nam de eo Angelus sermonem habebat,) à Machabaeis inuictè superatus sit, ac Iudaico imperio extirpatus. Non enim dixit, *Stellae ceciderunt*; verum ille à stellis praclare pugnantibus cecidit, hoc est, victus ac profligatus est. Quod si quis vocabulum istud *ἐπεσε*, pro *ἐπελάζετο*, id est percussus, accipiat, nam hoc quoque sensu per sepe usurpatur, ut in hoc loco, *ἐπεσε*, id est, percussus, & manus eius sanauerunt; secunda videlicet syllaba per diphthongum scripta, potest illud, dicit quod septem fratres, ac matrem & sacerdotem Eleazarum, qui praecalam ac fulgidam vitam ostenderunt, atque siderum instar in terra existerunt, percussit.]

*Premissa Christi Iustitiæ Solis notio, à
virtutum & totius Sanctimonie
exemplis petita et uirtur.*

904. Sic constituta Christi Solis appella-
tione, monstrandum superest, quod receperam;
nempe dimissis tribus aliis illius expositionibus
quas profert Quiros in cap. 4. Malachia num.
2. illam peti ex eo quod Christus Ecclesiæ &
sanctis omnibus tanquam Luna & astris mino-
ribus exemplo præluceat, ad omnem sanctita-
tem atque iustitiam. Colligere id in primis licet
ex S. Paulino Epist. 2. ad Ausonium, siue Carm.
10. ubi cum dixisset, Deum esse veri boni fomi-
tem ac fontem, quem nemo nisi in Christo vi-
det, subdit,

*Hic veritatis lumen est, vitæ via
Vis mens, manus, virtus Patris,
Sol æquitatis, fons bonorum, flos Dei.
Natus Deo, mundi sator;
Mortalitatis vitæ, nostræ & mori ne-
citur;
Magister hic virtutum.*

Vides quid vocet solem æquitatis, siue Iustitiæ.
Non aliud planè quam esse virtutum Magi-
strum, quod Christus tota vita sua abundè præ-
stitit, non tam de virtutibus differendo in actu
signato, quod patrum fecit, & ita ut pleraque
virtutes vix attigerit; quam præclara & lucu-
lenta earum exempla obiciendo hominibus,
quæ imitatione exprimentes, splendore Spiri-
tualiter, & diuina luce perfundi queant. Eodem
sensu idem Paulinus Epist. 38. Christum nomi-
nat *veri luminis fomitem*, Pulchre Gregorius
Nyssenus lib. de perfecta Christiani forma.
[Christum] inquit, esse lucem veram, & à men-
dacio remotissimam considerantes, discimus vi-
tam quoque nostram veræ lucis radiis tra-
hi oportere, Solis autem iustitiæ radij, sunt plæ-
virtutes, quæ ad nos illuminandos emanant, ut
abiciamus opera tenebrarum, & tanquam in
die honestè ambulemus, & repudantes abscon-
dita turpitudinis, atque omnia in luce facientes,
ipsi quoque lux euadamus, & quod proprium
est lucis, aliis per opera splendeamus. Quod
Christi virtutes, eiusdem ut Solis mystici radios
statuit, apertissime cadit in rem præsentem. Nec
testatur Zeno Veronensis serm. 3. de Natiu.
Dom. cum radios Christi Solis, ait esse Aposto-
los. Id enim tantum pertinet ad summam Apo-
stolorum à Christo dependentiam ostenden-
dam; saluo internis Christi virtutibus iure potio-
re ad eam denominationem.

Hoc esse matutinum in quo David omnes pec-
catores terræ interficiebat, ait Origenes ho. 8. in
Iosue in fine. [Siue] inquit, ciuitas Domini Eccle-
sia Dei viuentis accipitur, efficiunt Doctores de Ec-
clesia, & interficiunt eos qui operantur iniqui-
tatem, contrarios Demones aduersariaque vir-
tutes, qui cogunt homines ad peccatum, docen-
do, instituendo, & occultata in diuinis literis ex
locis talibus in quibus nunc sumus, mysteria
referendo: siue ciuitatem Domini vniuscuius-
que nostrum animam intelligamus, quæ ædifi-
catur à Domino ex lapidibus viuus, id est ex vir-
tutibus variis & diuersis; de ipsa quoque ciui-

Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.

tate, sanctus quisque & diligens eiicit peccato-
res, id est cogitationes pessimas, & cupiditates
prauas interficiet in matutino. Iustus enim dicit,
*In matutinis meditabor in te, quia fusti adiutor
meus.* Quod est istud matutinum nisi Dominus
noster Iesus Christus, qui est lux vera, & exo-
rta in cordibus nostris, atque illuminans igno-
rantia nostræ tenebras, & huiusmodi, nobis my-
steria reuelans, facit nos in suo lumine videre.]

Idem præclare ibidem hom. 16. initio, qui sine
dies à Christo Sole procreati, ad hunc modum
aperit, accommodatè ad præsens negotium. [At-
bitur quod sicut Sol iste dies facit mundo
huius, ita & Sol iustitiæ faciat aliquot dies spiri-
tales, qui fulgore veritatis & lampade sapientiæ
illustrentur. Si quis ergo in præceptis Dei vitam
hanc præsentem, quæ (sicut Iacob dicebat,) pau-
corum & malorum dierum est, transegerit, &
immaculatum se ab hoc mundo custodierit, at-
que omnes aduersarios, & hostes suos subegerit
spiritales ab istis paucis & malis diebus, proue-
hitur & promouetur ad illos dies æternos &
bonos, æterni Solis luce signatos.] Videris præ-
terea quæ habet hom. 3. in Psal. 36. de diebus
charitatis, veritatis, & iustitiæ, ad illud, *nonit Do-
minus dies immaculatum.* Idem hom. 1. in Psal.
38. ad illud, & *numerus dierum meorum* sic scri-
bit. [Sicut in hoc celo, Sol exortus, & vniuer-
sum mundum illustrans, diem facit, ita & in cor-
de iusti, quod pro constantia & firmitate, Dei
firmamentum merito appellatur, si exoritur
Sol iustitiæ Iesus Christus, & illuminet eum
lumine scientiæ veritatis diem facit in corde
eius.] Idem habet homilia, 1. in Iudic. initio. Exo-
ratur autem alicubi Sol iustitiæ Christus, cum
exemplis virtutum suarum præluceat ad bonum.
Accedit ad hæc Origenis dicta quod S. Grego-
rius, scribens annum illuminationis nostræ, &
coronam benignitatis anni à Deo benedicti,
lib. 4. moral. cap. 2. ad illud, *non computetur in
diebus anni, nec numeretur in mensibus* menses in
eo illuminationis anno, ac dies, statuit esse; Dies
quidem singulas quasque virtutes, illuminante
Sole Iustitiæ procreatas; menses autem multi-
plicia facta virtutum, quibus noctes malo no-
stro succedunt, cum tenebrosa confusio malo-
rum quæ admittimus lucem virtutum caligine
suffundit: Quod ne sibi in extremo Iudicio, vi-
tio vesteretur, exposebat Iob verbis propositis,
interprete, S. Gregorio.

905. Verum quomodo exemplis virtutum
Christi, ut luce Solis Iustitiæ, dirigamur ad om-
nem sanctitatem, tradit insigniter S. Augustinus
7. seruit. cap. 3. ubi præmittit, Christum esse lu-
men de Patre lumine: lumen verò non corpo-
rale, sed spiritale; neque ita spiritale, ut illumi-
natione factum sit, (quale lumen sunt Apostoli,) sed
lumen primigenium quod eum ab æterno,
lumen in se esset inexhaustum, nobis in tem-
pore factum est lumen, ad quod conuertere-
mur velut ignes minores ad Solem nostrum, fi-
lium boni, (quo pacto Solem Plato appella-
bat,) & viam ac expressam Dei imaginem: sub-
dit post hæc S. Augustinus. [Cuius imaginis
exemplo & nos non discedamus à Deo, quia &
nos imago Dei sumus; Non quidem æqualis, fa-
cta quippe à Patre per filium, non nata de Pa-
tre sicut illa. Et nos qui minamur lumine,
illa verò quia lumens illuminans; & ideo illa
sine exemplo nobis exemplum est. Neque enim

NN 2 imitatur

imitatur præcedentem aliquem ad Patrem, à quo nunquam est omnino separabilis, quia idipsum est, quod ille de quo est. Nos autem niten-tes imitatur manentem, & sequimur stantem, & in ipso ambulantes tendimus ad ipsam: quia factus est nobis via temporalis per humilitatem, quæ mansio nobis æterna est per diuinitatem. Quoniam quippe spiritibus mundis intellectualibus, qui superbia non lapsi sunt in forma Dei, & Deo æqualis & Deus præbet exemplum, ut se idem exemplum redeundi etiam lapsi præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum pœnamque mortalitatis Deum videre non poterat, semetipsum exinanivit, non mutando diuinitatem suam, sed nostram mutabilitatem assumendo: & formam serui accipiens venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo erat, quia mundus per eum factus est: ut exemplum sursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad conualescendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum esset, in omnibus ipse primatum tenens. Quia enim homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, & sentire non poterat Deum, sequendo Deum hominem factum, sequeretur simul, & quem sentire poterat, & quem sequi debebat.]

Non potuit luculentius exponere, quomodo Christus Sol iustitiæ, præluens nobis exemplo virtutis in omnium, ut eum sequentes non ambulantes in tenebris, sed lumen vitæ habeamus: quod, Christus ipse de se dixit, aperte insinuans illuminationem illam mundi quam Christus sibi tribuit, non tam ad speculativas notitias digi- (et si ad has quoque,) quàm ad practicas, exercitationemque virtutum, per earundem insignia facinora præmonstrata, veluti lucem fulgentissimam, postquam ambulare, non sit operosum. Ea enim ambulatorio & sequela Christi, imitatio- nem eius; & expressionem exemplorum ab illo exhibitorem, insinuat apertissime. Idque esse ambulare per tergum Dei, non ante faciem eius, ut Moysi dictum fuerat, scribit Nyssenus l. de vita Moysi declarans quid sit Moysen vidisse posteriora Dei.

Vsu Doctrina de Christo Sole Iustitiæ.

906 Sic Soles Iustitiæ efficiuntur, per Christum Solem, ad quod astringi Christianos, S. Chrysostomus hom. 4. in 1. Cor. in *Moralibus*, in hunc modum tradit. [Exhibeamus rectas vitæ gerendæ actiones, virtutisque ignem copiosum accendamus. *Estis enim, inquit, luminaria in medio mundo lucentia.* Maiorem unicuique nostrum Deus tradidit usum, quàm Soli, maiorem quàm cælo, & terræ, & mari, & eo maiorem quo præstant spiritualia sensibilibus. Quando ergo orbem Solis aspexerimus, & astri pulchritudinem, corpusque & decorem ac alacritatem admirati fuerimus, rursus consideremus esse maiorem quæ est in nobis lucem: sicut etiam grauioribus & molestioribus tenebris, nisi attendamus. Nam nox profunda, occupat vniuersum orbem terræ. Nox est non solum in Hæreticis & Græcis seu Ethnicis, sed etiam in multis apud nos & propter dogmata, & propter vitam. Multi enim resurrectioni non satis credunt: mul-

ti Genethliaci multum tribuentes, iis quæ de suo ortu dicunt, nituntur: multi observationes quasdam obseruant, fortissimæque & augustinis signisque & omnibus: alij etiam vtuntur amule- tis & incantationibus.]

Sumus ergo iustitiæ Soles per Christum Solem in nobis expressum, & eius veluti Parelleli. Nec mireris, hoc Christi attributum nobis communicari aliqua ratione. Audi S. Basilium ho. de penitentia. [Axiomata sua I. & v. largitur alijs. Largitur autem ea non euacuatus, sed nihilominus habes. Lux est. *Vos estis lux mundi,* inquit. Sacerdos est & facit Sacerdotes. Omnis est, & dicit: *Eccce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Petra est, petram fecit. Quæ sua sunt largitur seruis suis. Argumentum hoc est opulenti, habere videlicet, & alij dare. Vtuntur qui apud nos diuites sunt, ubi sua largiuntur alijs, quæ habent imminuunt. Diuites enim non sumus. Nam aliena possidemus. Christus verò ita diues est, ut quantum alijs elargitur, tantum nihil secus ipse diues permanet. Est enim instar fontis perpetuo fluentis. Quotocumque haueris, non tamen riuus illius minuitur.]

907 Quam indignum est, plerisque mortalium diligere magis tenebras quàm lucem, & cum deberent exemplis virtutum omnium, tanquam vestigijs per Christum pressis insilire, malle tamen abiecto Sole, cecidisse, mundanorum iudiciorum consecrati, aut in lumine ignis sui ambulare. Exposculat grauiet & meritisimè de hac tanta cecitate & indigentia, Celsus ille, qui in altercationem Iulonis & Papijs abs se Latine factam, præfatur apud Cyprianum. [Palam cunctis inquit,] sicut ipse prædixit, apparuit, & sedentibus in tenebris manifestum vitæ lumen effulsit & iustitiæ perfidorum pectus obfessum postposita propria ac reiecta salute, tenebras potius cecitate cordis elegit. Frequentatur ubique atque manifestatur prophetatio cunctorum, qui sancto Spiritu præmonente, aduentus Domini metatores esse sortiti sunt. Hoc lumen sæculo datum, & diem nobis salutis exortum, vniuersis quoque in eum credentibus destinatum. Docet hoc in Palmis Spiritus sanctus, & ostendit dicens; *Lapis quem reprobanerunt edificauerunt, hic factus est in caput Anguli. A Domino factum est istud, & est admirabile in oculis nostris. Iste dies est quem fecit Dominus, ambulemus & in- cundemur in eo.* In hoc die nos ambulare, Paulus quoque Apostolus præcipiens & docens ac præmonens dicit; *Nunc enim proprius est nobis salus quàm cum credidimus: nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiciamus ergo operationes nebrarum, & induamur arma lucis, sit ut in die honestè ambulemus, id est, in Christo & mandatis eius, cuius lumine ac monitis luminati, & in claritate diei eius inuenti, proximam nobis salutem, credulitatis in eum mente conspicimus. Solem quoque esse Christum cunctis timen- tibus eum, Malachias Propheta testatur, & promittit dicens; *Vobis autem timentibus nomen meum orietur Sol Iustitiæ. & sanitas in altis eius ostendens ex nullo nobis salutem posse conferri, nisi in passione Crucis eius, quæ extendit manus, cuncta sæculi Saluatorum.*] Has tenebras quas mortales consecrantur, Luciferus qui manè oriebat de oriente, & orientem appositum orienti illi qui se locum mundi dixit,*

dixit, notauit pulcherrime Origenes hom. 15. in Num. ad illud, *de montibus orientis.*

Fugiamus hanc insidiosam lucem, affectemur verò synceram, aius mentis oculum ad cœlestem Epiphaniā, & conspectum Solis iustitiæ. [Si quis diligit, ait S. Chrysostomus hom. 9. in 2. ad Timoth. aduentum eius, omnia ager, ut ipsum ad se inuiter & habeat, ut illi perpetuum luceat lumen, nihil in nobis resideat præsentia tantæ maiestatis indignum; & continuo ad nos veniet, nobiscumque morabitur. Dicitur autem aduentus iste Græco vocabulo *ἐμδ' αὐτῆς*, quod scilicet appareat desuper, ac supernè oritur. Inquiramus ergo quæ sursum sunt, & radios illos celeriter ad nos attrahemus: nullus qui ad inferiora desigat obrutus, ac seipsum in humum suffodiat, Solis lucem aspicere poterit. Nemmo qui seipsum sæculi negotiis inquinat, intendere aciem valebit in liquidissimum iustitiæ Solem; nulli ex his lucis suæ *lucis* gratiam, qui in hisce versatur: respice parumper, & ex huiusmodi profundo, atque ex sæculi turbine & tempestate te recipe, si Solem intueri cupis, si superni aduentus gratiam appetis: si hoc interim suauissimo fruaris aduentu, magna postmodum fiducia illum aspicias.] Ne abutamur beneficio nobis oblato præ antiquis; qui idcirco dicti sunt *abotini*, quia non viderunt lucem. Expositio est S. Greg. 4. mor. c. 37.

Christum esse fidei Autorem & consummatorem, idem quod esse Solem Iustitiæ.

908 Ut quod exequendum postremò receperam, planum faciam, Christum eadem ex causa ex qua hæcenus monstratum est, eum dici Solem Iustitiæ, dictum quoque esse ab Apostolo Hebr. 12. autorem & consummatorem fidei; assumendum est ex D. Augustino 11. Ciuit. c. 2. & lib. 1. de Consensu Euang. c. 35. quorsum à nobis fides queratur, & quomodo in nobis per Christum sit constituta. [Quapropter (inquit, hoc secundo loco,) cum sit ipse Christus sapientia Dei, per quem creata sunt omnia, cumque nullæ mentes rationabiles, siue Angelorum siue hominum, nisi participatione ipsius sapientes fiant, cui per Spiritum sanctum, per quem charitas in cordibus nostris diffunditur, inharemus, quæ Trinitas vnus Deus est: consultum est diuina prouidentia mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus & occidentibus occupata tenebatur, ut eadem ipsa Dei sapientia ad vnitatem personæ suæ homine assumpto, in quo temporaliter nasceretur, viveret, moreretur, resurgeret: congrua salutis nostræ dicendo, & faciendo, patiēdo, & sustinendo, fieret & deorsum hominibus exemplo redeundi, & eis qui sursum sunt Angelis exemplum manendi. Nisi enim & in animæ rationalis natura temporaliter aliquid oriretur, idest, inciperet esse quod non erat, nunquam ex vita pessima & stulta ad sapientem atque optimam perueniret. Ac per hoc cum rebus æternis contemplantium vèritas perfruatur, rebus autem ortis fides credentium debeat, purgatur homo per rerū temporalium fidem, ut æternarum percipiat veritatem. Nam & quidam eorum nobilissimus Philosophus Plato, in eo libro quem Timæum vocant,

sic ait. Quantum ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas. Duo illa sursum sunt, æternitas & veritas: duo ista deorsum; quod ortum est, & fides. Ut ergo ab imis ad summam reuocemur, atque id quod ortum est recipiat æternitatem, per fidem veniendum est ad veritatem. Et quia omnia quæ in contrarium pergunt, per aliquod medium reducuntur, ab æterna iustitia temporalis iniquitas non alienabatur. Opus ergo erat media iustitia temporalis, quæ medietas temporalis, esset de imo mixta & summis; atque ita se nec abrumpens à summis, & contemperans imis, ima redderet summis. Idcirco Christus mediator Dei & hominum dictus est inter Deum immortalem & hominem mortalem, Deus & homo, reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat. Ipse est nobis fides in rebus ortis, qui est veritas in æternis.] Ex hoc D. Augustini discursu, habemus fidem esse homini viatori necessariam, ut purgetur, & redeat ad Deum veritatem æternam; ad quem reditum sine offendiculo capeſſendum, Christus viæ autor & dux præiuit; vniuersa quippe sua vita, & claris per eam actionibus, exemplum redeundi & temporale medium nobis est factus; ita docens & præluens verbo, ut simul factis & exemplis, quæ dicebat & docebat firmaret ipse; ne quis doctrinæ impossibilitatem, vel difficultatem insuperabilem, cauſaretur.

909 Hoc ipsum est quod Apostolus voluit, cum Christum autorem fidei & consummatorem vocauit. Quod enim creditus Anselmus rectè vidit, & ex textura capituli perspicuum est, scopus Apostoli eo loco erat. Hebræos ad Christum conuersus firmare, ne aduersis frangerentur: Hanc quippe esse certam, & regiam salutis viam, spinosam licet, & dumis ac rubis obſitam, quam Moſes & omnes retrò Patres inuisſenti alij ludibria, alij verbera, carceres alij, etiam sertas & lapides, & gladios constanter passi, quamuis ij veri essent, quibus dignus non erat mundus. Idcirco & nos (inquit Apostolus,) tantam habentes impostam nubem testium, deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta: Recognite enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Exemplis sanctorum, subneſcit omnium potentissimum exemplum Christi, qui cum esset innocentissimus & piissimus, ab impiis tanta passus est, tam dura tamque indigna tolerauit, exemplo formans quod verbo docuerat; & exiciens patienter, sicut doctrina eius fert esse patiendum.

Itaque fecit Christus quod docuit, nec tantum fuit autor siue princeps fidei nostræ, idest magister obiectorum fidei ad mores & patientiam spectantium, sed etiam consummator & executor. Quod enim fidem pro fidei obiecto in hoc Apostoli loco, non pro actu fidei, aut habitu sumi volo, conforme est aliis plerisque locis, quibus fides similiter pro re credita & sub fidem cadente sumitur, ut apud Iudam cum hortatur Christianos, ut superceterent semel traditæ sanctis fidei; Et apud Apostolum ad Galatas 1. cum ait, fidem Christianam Euangelizari; Ac

NNn 3 denique

denique apud S. Athanasium, cum in Symbolo ait, hanc esse fidem Catholicam, quam in suo Symbolo de Trinitate & Verbi Incarnatione expresserat. Similiter ergo hoc loco, Christus fidei autor & consummator dicitur, quatenus doctrinam fidei de patientia quam verbo tradiderat, suo quoque exemplo roborauit, patiens sicut docuerat patiendum. Et ita Apostolum intellexit S. Gregorius 21. Mor. cap. 6. sic scribens in illud *appendat me in statera iusta*. [Quis statera nomine, nisi mediator Dei & hominum designatur? In quo æqua lance omnia merita nostra pensantur, & in cuius præceptis agnoscimus, quid in nostra vita minùs habeamus. In hac autem statera appendimur, quoties ad vitæ eius exempla prouocamur. Hinc namque scriptum est; *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cum malediceretur, non maledicebat: dum pateretur, non comminabatur.* Hinc per Paulum dicitur; *Per patientiam curamus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, subiit crucem, confusione contempta.* Ad hoc itaque Dominus apparuit in carne, ut humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet.

Alia notio auctoris & consummatoris fidei, apud Augustinum.

910 Non me latet, D. Augustinum I. de prædest. SS. cap. 1, aliam innuere huius Christi attributi significationem. Probans enim fidem nostram actualement esse ex Deo, nec retribui meritis quod per fidem regeneremur, præmittit exemplum Christi, quem negat esse prædestinatum Dei filium per merita sua. Subdit verò, [Sic & nobis ut ex aqua & Spiritu renascemur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum: & si nos ad lauaturn regenerationis fides duxit, non ideo putare debemus, priores nos dedisse aliquid, ut retribueretur nobis regeneratio salutis; ille quippe nos fecit credere in Christum qui nobis fecit in quem credimus Christum: ille facit in hominibus principium fidei & perfectionem in Iesum, qui fecit hominem principem fidei & perfectorem Iesum; sic enim est appellatus, (ut scitis,) in Epistola quæ est ad Hebræos.] Videtur D. Augustinus, Christum autorem & consummatorem fidei intelligere, quia est in nobis causa fidei, & primæ, & cuiusvis initij ac rudimenti eius, non autem duntaxat consummationis; contra quam ferebat hæresis semipelagianorum quos D. Augustinus eo libro exagitat.

Individuus certè D. Augustini affectator Fulgentius lib. de Incarn. & gratia Christi cap. 20. ita planè accipit hunc Apostoli locum, & sic ex eo argumentatur, ut planè videatur propositum D. Augustini locum expressisse. [Vita nostra inquit, à fide sumit initium, quia iustus ex fide vivit. Quam fidem non ex voluntate nostra nasci, sed per Spiritum sanctum vnicuique dari, Beatus Paulus ostendit, dicens; *Alij quidem dantur per Spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu.* Non ergo Spiritum san-

ctum, quia credimus, sed ut crederemus, accepimus. Forma enim præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spiritualiter agnoscimus. Nam Christus filius Dei secundum carnem de Spiritu sancto conceptus & natus est, Carnem autem illam, nec concipere Virgo posset, ali- quando, nec parere, nisi eiusdem carnis Spiritus sanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit nec augeri, nisi eam Spiritus sanctus infunderet & nutriet. Ex eodem namque Spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus. Eodem igitur Spiritu Christus formatur secundum fidem in corde vniuius cuiusque credentis, quo Spiritu secundum carnem formatus est in vtero Virginis. Ideo Prophetæ ex persona fidelium clamat ad Dominum; *Propter timorem tuum Domine in veteri concepimus & parturimus, Spiritum saluum facimus super terram.* Sicut autem non solum priusquam Virgo Maria Christum conciperet, sed etiam priusquam se concepturam agnosceret, gratia plena Angeli voce nuncupata est, cum nulla eius præcederet concipiendi filij Dei vel cognitio, vel voluntas, ut agnosceretur ex gratia Dei esse tam ipsa obediens voluntas Virginis quam conceptio Domini Saluatoris; Sic homo priusquam credere vellet inciperet, gratia donantis infunditur cordi, ut incipiat in homine per fidem Christus formari. Cum autem Christus in vnoquoque formatur, ipse se format, quia ipse fidem in corde vniuius cuiusque credentis initiat. Propterea in Epistola quæ ad Hebræos scripta est, admonemur; *ut aspiciamus in autorem & consummatorem Iesum: qui proculdubio sic est autor fidei nostræ cum ipse fidem non habentibus donat; sicut est eiusdem fidei consummator, cum eam in habentibus augendo multiplicat, & sancta operatione consummat.* Dicit enim B. Apostolus, *quia fides Abrahæ Patris nostri, ex operibus consummata est.* Autor est ergo fidei nostræ consummatorque Iesus, quia ipse operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Manifestè Fulgentius expositioni loci Apostolici ex D. Augustino prolata suffragatur ut scilicet voluerit Apostolus, fidei nostræ actum à Christo initium & fidem sumere, ut à causa sua prima & consummatoria. In quem sensum, eundem locum videntur plerique Scholastici argumentantes aduersus Pelagianos. Vnde expositio tanto suffragio munita, repudianda non est. Ea tamen quam proposuimus, videtur textura capitis accommodatior; nempe quod Christus eam ipsam seruanda patientiæ fidem atque doctrinam, quam verbo docuit, exemplo item suo & factis expresserit.

911 Cadit perbellè hac ratione in Christum; quo de templi euersi instauratore Zorobabele lapidem stannem manu præferente, habet Zacharias cap. 4. *Manus Zorobabei fundauerunt domum istam, & manus eius perficiunt eam, & scietis quia Dominus exercituum, misit me ad vos. Quis enim despectit dies paruorum? Et latuerunt, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel.* Fuisse Zorobabelem figuram Christi, cum alia pleraque demonstrant, tum illud quod notatum est à Niceta ad Orationem 44. Nazianzeni. Nimirum quod sicut Zorobabel non abductus captiuus, sed tamen ex capitiui Babylone editus, populi Dei redemptor fuit, ita Christus

stus nulli inquinatus labe peccati, populum Dei ab exitiali Satanae imperio in libertatem veram vindicauit. Verus hic Zorobabel, fidei Christianæ autor & consummator est: propterea quæ fundasse & perfecisse dicitur domum Dei, & vt fundamenta illa fidei non intelligantur tantum facta per doctrinam à Christo disseminatam, sed etiã per executionem doctrinæ morum, disseminatam per Christum; attendendum est ad lapidem stanneum in manu Zorobabel. Est enim lapis ille fides de Christo, vt Nicetas conceptis verbis exponit. Nec repugnat, quod præmiserat, lapidem illum stanneum, esse ipsum Christum, recte compositum cum stanneo lapide, ob mixturam plumbi & aris; quarum materialium altera durissima & firmissima, altera verò mollis & flexilis; sicut Christus ex duplici natura compingitur quarum vna immutabilis est, altera mollis & affectibus ac alterationibus obnoxia, præter vim purgantem, & à combustionem protegentem alia metalla infusa stanno, quæ bellè quoque in Christum cadit, vt Nicetas tangit, & plenius tradit S. Hieronymus Zach. 4. & 5. Cyrillus l. 3. de adorat. in fine, de quo nos inferius. Quid inquam Christus stanneo illi lapidi confectur iuxta. Nicetam, non diffidet ab eo quod subdit, lapidem illum esse ipam fidem de Christo. Nam res fidei obiecta, rectè dicitur fides, vt circa locum Apostoli proximè propositum notauimus. Christus ergo cum sit primarium obiectum materiale fidei, optimè appellatur fides nostra: sed illa ipsa fides qua in Christum credimus, & quæ à Christo sunt reuelata confitemur, fuit in manu Zorobabel. Neque enim Christus, ea quæ docuit facienda, alibi habuit quam in manu, sed in intellectibus tantum suarum deduxit nos. Vnde quod Theodoretus in Plal. 39. rectè considerat, ad illud sacrificium & oblationem noluisse, reculanti Ioanni dexteram super Christi caput tollere, reposuit Christus, sic dicere vt impleteretur omnis iustitia; eo quod iustissimum censeret, humilitatem quam verbo docturus erat, factis primùm & exemplo plantare. Atque ita vides, hoc quod est Christum esse fidei autorem & consummatorem, iuxta Apostolum; idem prorsus esse, ac Christum esse Solem iustitiæ, & lucem mundi: quia scilicet non solum illuminauit orbem, docens quæ recta & iusta sunt, sed etiam præluxit exemplo.

Nimirum non fuit Christus de numero illorum Doctorum qui dicunt & non faciunt: qui alligant onera grauiora & importabilia super humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere: Quales scribæ erant & Pharisei, vnde in nullo pretio erant apud Iudeos, quia dicta factis deficientibus erubescabant, vt Tertullianus loquitur. Non fuit Christus de numero Doctorum illorum buccarum tenus, quos Etnici quoque deridebant, & Glossaria mortuaria nominabant. Vides quæ refero in Prolog. ad Moralem, cum de Magistro morum.

Vsu doctrinæ de Christo fidei Autore & consummatore.

912 Et vitinam desisset inter Christianos illud Magistrorum inutile pondus, & imbellè genus. Qui tamen digni sunt, Doctorum Christianorum appellatione, meminisse debent, sibi

quoque dictum esse, *vos estis lux mundi* de quo S. Cyrillus in c. 49. Isaia & optimè Orig. hom. 1. in Iudices, monstrans Apostolos & Apostolicos viros, cum sint sub Christo Soles, debere suos in aliis dies efficere indeficientes. Nam arcans illud, *Seruiuit populus Domino, omnibus diebus IESV, & seniorum qui fuerunt post IESVM*, sic ait. [Seniores qui vel cum IESV, vel post IESVM fuerunt, qui sunt nisi Apostoli, qui & ipsi scriptis & præceptis suis, illuminant corda nostra, & faciunt etiam ipsi dies quosdam in nobis, ex illa luce quam ipsi ex vera luce participati sunt, venientes? Qui ergo illuminatur & instruitur ex Apostolorum præceptis, & ad seruitium Domini, Apostolicis regulis instruitur, iste est qui seruire dicitur Domino, in diebus seniorum qui fuerunt per Iesum. Vis autem videre, quia sicut Saluator erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ita & Apostoli lux erant mundi: In Evangelio scriptum est, dicente Domino ad eos, *Vos estis lux mundi*. Quod si etiam Apostoli lux sunt mundi, sine dubio per præcepta & mandata sua, illuminant nobis dies, in quibus Domino seruiamus.] Idem de viris Apostolicis dictum esto, cuiusmodi sunt in Ecclesia Dei, Doctores omnes legitimi; ac proinde omnes tenentur, esse Soles, & illucere orbi terrarum, præstantes operibus quod verbis enunciant. Quod si lumen quod in Ecclesia est, tenebræ quantæ erunt? Si inquam ij per quos Christiana doctrina firmata est, depreciant illam malis exemplis disertis contra semetipsos, quam densa caligo operiet orbem terrarum? Tales, alia compactione adhibita, vocantur à Christo sal infatuatum; quorum damnatio iusta est, quia cum alios condire deberent, malis exemplis infatuant, & virtutis saporem ab eis eliminant. Itaque iustissime mittentur foras, & conculcabuntur ab hominibus, tanquam ad nihil ultra valentes. Petrus Damiani in horum infectione egregiè laborat serm. de S. Stephano Papa, & totidem verbis serm. de S. Anastasio, monstratque huiusmodi, esse filios Ephrem conuersos in die belli, quamuis in pace intendant & mitant arcum. Addit eos peccare contra illud Domini præceptum Deuter. 20. quo Sacerdos concionaturus ad milites, iubebatur stare ante aciem, vt præuius ipse antecedit quos ad pugnandum adhortationibus provocat. Subdit quoque tales ei se maledicto subiicere, quo feriuntur qui habent pondus duplex, & scelerem dolosam, quandoquidem quæ alios docent facere, exequi refugiunt. Hæc omnia sub diuersis imaginibus, idem ferunt; quod dicebamus, de cauenda tenebrositate iis qui iubentur esse Soles iustitiæ & lumina mundi. Idem Petrus Damiani lib. 4. Epist. 15. Polchrè in hanc rem diserit his præter cætera. [Curandum est Rectoribus Ecclesiarum, vt filios generent in Israël & non qualemcumque, sed virilis sexus sobolem nutrant, quæ videlicet ad præliandum bella Domini, fortiter conualecat. Quisquis enim per iniunctæ prædicationis officium, ad pugnandum alios incitat sed ipse non pugnat, illi similis est qui buccinæ clangoribus obstreptat, sed congregati cominus non præsumit. Hic itaque non virilem generat sexum cum sit pater ignauus. Quem profectò Salphaat ille signauit, qui non filium sed quinque filias moriens dereliquit, Salphaat siquidem]

dem interpretatur, *umbra in ore eius*. Quisquis enim fortia prædicat & eneruiter viuit, ne turpis appareat, quasi sub foliis se honesti sermonis occultat. Sub umbra se proprii oris abscondit, dum in campum certaminis per sui torporis ignauam non procedit. Hic itaque quantum ad se, non ibidem, sed muliebrem sobolem, & hanc sub quinario numero generat, dum sequaces suos non ad robur spiritualis audaciæ, sed ad ortum educat ignobilis vitæ. Plura in hanc rem in dissertatione de Verbi Dei Tractatione non hæteroclit.



CAPVT V.

*Christus Mediator Dei & hominum;
Pax nostra, qui fecit vira-
que vnum?*

NOMEN Solis iustitia de quo proxime actum, alia quoque ratione cum nomine Mediatoris recurrente, in Christum cadit. Auanum aperit Anastasius Sinaita lib. 4. Hexaëm. in ipso fine, Conferens enim opus materiale quartæ diei, cum opere mystico diei quartæ in Cosmopœia spirituali, quam prosequitur; Solem qui quarto die in mundi natalibus est creatus, confert, cum Christo: quartam verò diem, quippe mediam cosmopœiæ, respondere ait cum Christo Sole iustitiæ, qui eductus à Deo est medio tempore; hoc est in quarto millennio, qui est medius dies seculi: quomodo etiam in initio creationis, quartus dies fuit medius septem dierum. Propterea in eo fuit præfiguratus Sol iustitiæ, mediator Dei & hominum, & medius, vt Dominus tam eorum quæ cadunt sub aspectum, quam eorum quæ non cadunt: & medius Patris & Spiritus sancti, & intermedius lapidis angularis duorum populorum. Qui etiam in cruce fuit insaltum sublatus in medio duorum latronum, & fecit salutem in medio terræ cum esset medius dies. Quare ad considerationem Christi, prout mediatoris accingamur.

Mediationes improprie, dimissa.

913 Mediatorem potè hinc accipio propriè, non ea duntaxat ratione, quam tradit S. Cyrillus lib. 3. de ador. nimirum pro gubernatore & protectore, qui medius incedat inter suos clientes & eorum aduersarios, prohibens hostes incurfione, suas vorò tegens ac vitans. Est quidem Christus, hac quoque ratione mediator; rectèque S. Cyrillus, ad Christum hoc modo spectatum accommodat illud de columna nubis sublata, & Egyptios inter ac Hebræos, per totam noctem interposita. Sed non est hæc illa propriè dicta Mediatoris notio, quam querimus. Vt neque illa quæ pect potest ex Gulielmo Parisiensi lib. de monibus cap. 3. cum ait, in Dei Logica nullum esse medium siue argumentum validius, ad bene syllogizandum atque probandum quilibet, vel contrarias obiectiões elidendas, quam Christi mortem. Christus quidem, hoc item modo, est Mediator. Nos

tamen nunc aliam mediationem eius attendimus. Quanquam video non fore operosum, hanc mediatoris notionem reducere ad propriam mox proponendam. Quod intelligi potest ex alio eiusdem Gulielmi loco, nempe ex lecur Deus homo cap. 7. ad finem, vbi ita habet. [Per Dei sapientiam, Diabolo qui conculcatur omnia sub peccato, concludendum fuit conclusionem confusionis perpetuæ, & fuit Syllogizanda maior extremitas, scilicet Deitas de minore, scilicet de homine; & non tam inferenda vita argumento huiusmodi, quam etiam confectenda. Non enim solummodò inferenda erat neganti vel dubitanti homini Deitas, sed etiam conferenda eodem modo quo illum eam recipere fas fuit. Medium ergo terminum huius syllogismi, sic oportuit inter duas extremitates esse, vt maior de illo prædicaretur, & ipse de minore; quod est dicere quod Christus est Deus & quidam homo est Christus. Per hoc medium, Deitas homini non tam illata est, quam etiam collata, & conclusum est mori atque Diabolo.] Vides mediationem illam syllogisticam, extrahi à Gulielmo, ab impetrandi per Christum efficacitate quod primum fuerat adhibita, & accommodari ad mediationem qua per Christum mors elisa est, & Satan mortis antor prostratus: quod pertinet ad germanam illam mediationis Christi notionem, de qua hic est agendum, etiamsi prout sub illis terminis proponitur, non planè perspicitur, sed lux aliqua super sit affundenda, quod sic præsto.

*Vera mediatoris notio, per sublationem
disidiorum, Deum inter, & ho-
mines, intercedentium Chri-
sto vindicata.*

914 Intercedebant homines inter ac Deum, inimicitia capitales, partim Adami peccato excitata, in quo omnes mortui sunt & à Deo alienati; partim quoad plerisque rationis compotes, suborta ex peccatis quibus maiestatem diuinam ingratissimè violant. Iniquitates enim nostra diuidere, inter nos ac Deum, contestatur Scriptura. Eademque hominem illico à Deo fugere peccando docet: quod planè est, hominem fieri inimicum Deo per peccatum. [Deum enim fugere, ait S. Chrysost. hom. 11. in ad Phillij (in morali) non fit loco, (nam ubique est), sed operibus. Etenim loco quidem ab eo discedi non posse, audi Prophetam dicentem, *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Quomodo igitur pote est à Deo fugere? Eodem modo, quemadmodum pote est procul à Deo proficisci, ac longè abesse. *Qui se elongauit, (inquit), à te peribunt.* Et rursus. *Nonne iniquitates vestra diuiserunt inter me & vos?* Quomodo igitur fit iste longinquus discessus? & quomodo intercedit intervalum? Electione & animo. Loco enim pote non est. Quomodo enim quis ab eo, qui ubique adest, fugiat? Peccator igitur fugit. Hoc est quod Scriptura inquit. *Fugit impius nemine persequente.* Valde fugimus Deum, tamen si semper ille secatur nos. Apostolus cursum suum eo intendebat, vt prope ad illum accederet nos eo intendimus, vt procul discedamus. Ergo non hæc digna lamentis? Quò fugis infelix, & miser? quò fugis à vita, & salute tua?